



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiae Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

Quàm eminentiſimè & fideliſimè ſponſus intendere dignatus eſt ſponſa,  
tam in beneficijs creatiionis, quàm recreationis. Cap. XCVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

Rom. 14.  
1 Cor. 3.  
Psal. 131.  
Psal. 44.  
1 Ioan. 3.

*dicum in Spiritu sancto: de quo re: no postea latius videbitur. Est, in qua, anima sancta templum Dei, & habitatio Altissimi. Templum, inquit Apost. Dei sanctum est, quod estis vos. Et elegit eam in habitationem sibi, dicens: Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Est insuper filia Dei, eodem dicente: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscent rex decorem tuum. Et Iohannes in Canonica sua: Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur, & simus. Est denique sponsa Dei, qua vt sibi in sponsam assumeret, & ad dilectionem reciprocam incitaret, naturam humanam assumpsit, vt seipsum exinanendo, sponsam suam exaltando nobilitaret. Vnde dicit Bernard. Si non fecit ille, quod sponsus, si non tanquam sponsus amauit, si non zelatus est tanquam sponsus, noli acquiescere te sponsam arbitrari, o anima sancta.*

*Quam eminentissime & fidelissime sponsus intendere dignatus est sponsa, tam in beneficijs creationis, quam recreationis.*

Cap. XC VII.

Isa. 2.

Beneficium creationis.

Anima qd sit.

**D**ilectus meus mihi (scilicet intendit) & ego illi. Videamus nunc quomodo sponsus, cui cura seculorum incumbit, sponsa suae singulariter intenderit, tam in beneficijs creationis, quam recreationis, vt non immerito se dilectam sponsam eius esse confidat, & gloriatur, dicens: *Dilectus meus mihi intendit, quia benignus, & misericors est. & ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, & ego illi gratiam pro gratia. Ille meae liberationi, ego illius honori. Ille me salutem, ego illius voluntati. Ille mihi amorem verum, tam in beneficijs creationis, quam recreationis, & ego illi fidelitatis affectum.*

Vnde quantum ad beneficium creationis, anima primò facta est ad imaginem Dei. Dicit enim Augustinus, lib. de diffinitione animae, quòd anima est substantia creata inuisibilis, immortalis, Deo simillima, nullam habens imaginem nisi Creatoris sui. Vel, anima est vita perpetua, per memoriam, intelligentiam, & voluntatem ad imaginem Dei facta; capax virtutis, & gratiae, vel vitij; susceptiua poenae, vel praemij arbitrij libera; potentijs, habitibus, & affectionibus decorata; carens figura, pondere, & colore; passibilis, & mutabilis, eò magna, quò capax aternitatis; eò recta, quò est appetens bonitatis; eò beata, quò particeps est diuinitatis, gerens in se naturalem imaginem, secun-

secundum quod homo naturalem habet aptitudinem ad Deum intelligendum & amandum. Et hæc est imago creationis, quæ reperitur in omnibus hominibus, ut dicit Glossa super illud: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Secundum hanc enim anima immediate, & ex nihilo à solo Deo creata, capax est ipsius Dei. Et ideo quicquid Deo minus est, animam implere non potest. Sicut enim anima vegetabilis appetit esse, & sensibilis appetit bene esse: sic anima rationalis appetit optimè esse, nec vnquam quiescit, donec optimo coniungatur. Quapropter vi amoris in Deum, tanquam in centrū proprium, mouetur, ut in ipso summè delectetur, & quiescat. Deus enim est eius patria, & habitatio, ac fontalis origo, quia creata à Deo, vita à vita, simplex, immortalis, ut nō longè sit à Creatore suo, cui appropiare videtur simplicitate essentia, ac perpetuitate vitæ. Creata est enim anima magna à magno, recta à recto, bona à bono: eò magna, quò capax est æternorum: eò recta, quò appetens est superiorum; eò bona, quò Deo vnita? ut sic feliciter redeat vnde profuxit. O anima mea, vnde sumpti exordium profusus tuus? Nōne ex illa abyfso diuinitatis? velut essentia de essentia, vita de vita, intelligentia de intelligentia, lumē de lumine: sed creaturaliter, non essentialiter; non dea de Deo, sed deificanda à Deo. Cuius tanta est connexio, quòd nunquam est abolenda, nunquam in æternum separanda. Sicut enim sol in sua rota lux quædam est essentialis, vbiq; radios suos dispergens sine sui diminutione: qui licet radijs essentiam suam claritatis non communicat, æternam tamen contiguationē præstat, qua radios suos in esse conseruat: ita quòd eodem momento, quo contiguatione illa dissipatur, etiam esse ipsius radij euacuatur. Sic anima profusa ab ipsa diminutionis abyfso, quandā retinet æternam contiguationem, vnde cum origine sua conseruat & alitur, quam super omnia cōplecti concupiscit ac perfrui. Præterea sciendum, quòd rationalis anima, quantum ad essentiam suam, est imago diuinæ essentia. Et hæc imago est secundum indistinctionem, cuius imaginis reformatiua est ipsa gratia diuina, quæ reducit ipsam imaginem etiam ad diuinam similitudinem. Sed anima, quantum ad suas potentias, est imago ipsius Trinitatis. Et hæc est imago secundum distinctionem, cuius imaginis reformatiua est ipsa virtus, quæ reducit ipsam imaginem ad diuinam similitudinem. Nam sicut Deus vnus est in essentia, trinus in personis: sic anima est vnus natura, tres habes vires, scilicet intellectum, voluntatem, & memoriam. Et sicut ex Pa-

anima ad  
imaginem  
Dei.  
Psal. 4.

Animæ nobilitas.

Imago Dei  
in anima, &  
similitudo  
io

tre generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus sanctus: sic ex intellectu generatur voluntas, & ex utroque procedit memoria. Et sicut est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tamen tres dii sunt, sed vnus Deus, & tres personae: sic anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animae, sed vna anima, & tres vires, quibus imaginem diuinam in sua natura gerit mirabiliter. Et his iubemur diligere Creatorem, vt quantum diligimur, diligatur, & in memoria semper habeatur.

Anima cre-  
ata ad Dei  
similitu-  
dinem.

Gratia in-  
creata.

Gratia cre-  
ata.

Cont. 4.  
Vita animae  
duplex.

Sensus ho-

Secundò facta est anima ad Dei similitudinem, quae similitudo consistit in gratuitis, scilicet in diuina gratia nobis collata, & virtutibus, maximè in charitate: quia gratia perficit naturam. Pro quo notandum, quòd est gratia increata, scilicet Spiritus sanctus, qui se tribuit ijs, qui sunt sine peccato mortali. Et dicitur gratia, secundum quod dicitur donum: & dicitur donum, secundum quod dicitur amor: quia secundum suam proprietatè est amor, & vt amor procedit à Patre & Filio. Cùm ergò Spiritus sanctus est amor, imò prima virtus amoris, hinc est, quòd cùm nobis Spiritus sanctus datur, in diuinam speciem nos transformat, vt sit anima Deo assimilata. Porro ex illa parte debemus intelligere gratiam creatam, quasi similitudinem, & dispositionè ex parte animae rationalis, ex qua habet, quòd fit accepta Deo, & assimilata. Nam ibi est forma transformans: & haec est gratia increata. Et ibi est forma transformata, quae derelinquitur in transformato, scilicet in anima ex ipsa transformatione. Et haec est gratia creata, quae etià est necessaria, & ex parte animae recipientis, quae se non potest habere per immediationem ad gratiam increatam, nisi prius disponatur, vt latius patet superius. Deniq; ratio, cur ad diuinam similitudinè imprimendà animae sanctae, maximè requiritur diuina gratia, & virtus gratuita charitate formata, est ista: Quia, secundum Linconiensem, sicut cera mollis fortiter applicata sigillo, recipit imitatoriam similitudinem omnium formarum, & figurarum sigillo in sculptarum: sic in anima per amoris copulam à summa pulchritudine impressa, non erit alicuius pulchritudinis absentia, sed in illa refulgebit imitatorie pulchritudo, quae super ipsam est impressa, vt ei veraciter sponsus dicere valeat: *Tota pulchra es amica mea.* Quantū etiam ad beneficium recreationis, primò pro nobis humanam naturam assumpsit: quia duplex est animae nostrae vita. Vna, quae viuit in carne: alia, quae viuit in Deo. Duo quoque sunt in homine sensus, & ideo Deus homo factus est, vt uterque sensus bonum

bonum suum haberet, in quo reficeretur. Verus interior, qui reficitur in contemplatione diuinitatis; alius exterior, qui reficitur in contemplatione humanitatis, ut sic totum hominem in se beatificaret, & tota cōuersatio hominis ad ipsum esset, & tota dilectio eius in ipso esset, cum à sensu carnis videretur per carnē, & à sensu mentis videretur per diuinitatis contemplationem. Hoc enim erat totum bonum hominis, ut siue ingrederetur, siue egrederetur in factore suo *pascua inueniret.* Ioan. 10. Considera nunc, o homo, quanta fuerit erga te dilectio Dei tui, quod veller Deum hominem, & hominem quodammodo Deum fieri, & sic te post lapsum querere, & post offensam te plus, quam prius exaltare. Nunquid exaltationem culpa tua promeruit? Certè non. Sed ne amplius ab eo fugeremus, nostram naturam inseparabiliter sibi vnire voluit. Hinc merito dicit Chryostomus: quod nemo amatorum carnalium, etiam si sit in hoc ultra modum insaniēs, sic exardescere potest in amorem dilectæ suę, sicut Deus effunditur in amore animarū nostrarū. Secundò verò in assumpta natura pro nobis redimēdis, abluendis, adornandis, instruendis, alliciendis, ad imitationem instigandis, miragefsit, & sustinuit, sicut locutus est per Hieremiam: *Reliqui, inquit, domum meam, dimisi hereditatem meam: dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius.* O insuperabilis amor charitatis, qui insuperabilem superasti, & cui omnia subiecta sunt, omnibus quodammodo subiecisti, dum victus amore Deus, seipsum *exinanauit, formam serui accipiens,* non modò *inuentus ut homo,* sed ut *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Philip. 2. Psal. 21. Isai. 53. *Vidimus, inquit, eum tanquam leprosum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & percussum a Deo, & humiliatum.* O nouissimum, & altissimum; o humilem, & sublimem, o *opprobrium hominum, & gloriam Angelorum.* Nihilne merebitur tanta vilitas, imò & tanta charitas, quæ habet hunc modum, imò quæ excedit omnem modum? *Propter nimiam enim charitatem, qua dilexit nos Deus, ut seruum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius ipse pepercit.* Verè *nimiam,* quia mēsuram excedit, modū superat, & supereminet vniuersis. Vix pro iusto quis moritur. Iste moritur ex amore pro inimicis, & iniustis, ab iniustis, & cum iniustis, ut inimicos faceret intimos, seruos fratres, captiuos coharedes, exules reges, diaboli prostitutas proprias dignissimas sponsas. Propterea nanq; tam diu exulauit, tam fideliter in labore desudauit, tam valenter hostē debellauit, tam potēter sponsam eripuit, & in bello tandē occubuit, eā redimēs per suppliciū, quo nullū iniustus

per opprobrium, quo nullum vilius; per pretium, quo nullum pretiosius; per mysterium, quo nullum profundius; & per exemplum, quo nullum perfectius.

*Sponsus dat & petit totum cor sponsae, & qualis esse debet anima, ut dicatur merito Dei sponsa. Cap. XCVIII.*

- D**ilectus meus mihi, & ego illi. Dilectus meus mihi spiritualis desponsationis fidem indulget, dicens per Osee: *Sponsabo te mihi in fide, sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, in misericordia & miserationibus sponsabo te mihi in eternum, & ego illi grater consentio.* Pro quo notandum, quod haec nomina sponsus & sponsa, dicuntur a spondere, quia mittebant olim sibi mutuo cautiones, quibus spondebant in iura matrimonij se consentire, & fideiussores dabant, quibus id se servaturos obligabāt, ut patet ff. de sponsa. l. 2. Et quaedam sunt sponsalia de futuro, quaedam de presenti: & in utrisque sponsalibus requiritur consensus voluntatis, & animorum. Unde dicitur 27. quaest. 2. cap. Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur: qui solus si defuerit, caetera etiam cum ipso coitum rite celebrata frustrantur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas. Haec ibi. Hinc sponsus Christus cor sponsae suae petit in matrimonio spirituali, dicens: *Fili, praebe cor tuum mihi.* Nullique fructuosius, iucundius, & honorabilius sponsa cor suum praebere potest. Tali namque sponso cor dare convenit, qui solus cordi sufficere potest, ut sponsa cum Psalmista dicat: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in eternum.* In solo namque Deo cordis est sufficientia. In omnibus alijs cordis egestas. Cum igitur, o anima, sponsus tuus de te totum suum fecit, dices: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia,* id est, totum cor humanum, *traham ad me ipsum,* scilicet per dilectionem, in quo totum suum habere testatur, ut versa vice de ipso totum tuum facias, ipsum laboris tui finem constituendo, pro eius amore cuncta bona perficiendo, & mala patienter perferendo: alioqui qua fronte de ipso totum suum facere denegabis, qui de te totum suum tam dignanter effecit? Et hoc fit per verum amorem, per quem cordis dominium transfertur in amatum. Amor enim non finit suos esse amantes, sed amatorum. Hinc illi, quem diligimus, vulgariter cor nostrum dedisse dicimur. Et solus amor Dei, qui est coniunctio convenientis cum convenienti, facit matrimonium spirituale. Charitas enim, quae secundum Apostolum, *perfectio est vinculum,* in Deum perfe-

Osee 2.

Sponsus  
vnde.

Sponsalia.

Cor Deo  
offerendū.  
Prover. 23.

Psal. 72.

Ioan. 12.

Matrimo-  
niū anima  
cum Deo  
Coloss. 3.